

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Adolenscenti nobili optime indolis, Ioanni Rittesel, Philippus Melanchthon  
S. D.

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

laude: & prius discessit, quàm implicitus est negocijs, ut nos, in quibus non possunt nõ accidere scandala. De morbo, audio similem febriem fuisse, qualis anno superiore Lutheri filiam extinxit. Tantis in eo pudor fuit, tanta mei reuerentia, ut mihi indicare noluerit, se ægotare. Sed tamen medicos consuluit, qui (ut audio) statim iudicarunt lethale malum esse. Noui hoc genus febrium. nam biennio aliquot sic mortui sunt: his ardet pectus, & arefcunt & inflammantur fauces & lingua. Ceterum nec dolor magnus sentitur, nec mentis error accedit. Lutheri filia, ut Christophorus, placidissimè de Deo & immortalitate ac Christi beneficijs disseruerat, penè usq; ad extremam spirationem. Talis cum fuerit Christophori morbus, temporis aut fati deploremus casum: nec quæramus alias causas. Plena sunt humana miseriarum omnia, & in Ecclesia nouimus causas ueras: Philosophia ignorat. Deus enim proponit, & placidè iubet ferre ærumnas: et pollicetur se nobis adfuturum esse, idq; in tribulatione, inquit. Bene uale, charissime Bernharde. Pri die Nicolai, Anno Domini 1543.

Adolescenti nobili & optimè indolis, Ioanni Rittefel, Philippus Melancthon S. D.

Mirror te, mi Ioannes, nihil literarum ad me disse

disse pro nostra amicitia, cum quidem scires huc ab optimo viro patre tuo nuncium esse missum. Decebat autem te tum exercendi styli, tum etiam humanitatis causa, libenter ad amicos scribere. Quare te adhortor, ut ad me & ceteros amicos tuos aliquando aliquid literarum mittas. Deinde ualde te oro, ut cum Deus dederit tibi ualde præclaram indolem, et ingenium aptum honestis rebus: cures, ut bonam naturam doctrina expolias, nec studia literarum abiicienda esse putes. Ad laudem et decus uiam tibi doctrina factura est. Bene uale.

Venerabili uiro, eximia eruditione & pietate prædito, domino Georgio Buchholtzer, præposito Ecclesiæ Berlingensis, amico suo,

S. D. Fui his diebus Torgæ in aula, ubi diligenter inquisiui de negotio ad finis tui. Narrarunt igitur mihi, scriptum esse ad præfectum, & exemplum epistolæ Principis protulerunt, quod iussi tibi describi, sed nõ sciebant, an literæ Principis peruenierint ad præfectum. Quare me iusserunt exemplum ad præfectum mittere: qui si non accepit literas Principis, ut est nunciorum magna negligetia, polliciti sunt se rursus perituros à Principe obligationem. Cras igitur mittam nuncium ad præfectum Slichssem. Res mihi curæ erit, ut perficiatur,